



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Expenditur locus ad Romanos 9. de Iacob & Esau. c. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

hominem dignum contumelia, sed permittit ipsum suo proprio merito tale fieri. Si vero malam intelligat Paulus conspersam peccato actuali proprio, facit Deus ex illa massa vas contumelie, statim ipsum ad poenam destinando, cum tamen ex eadem massa aliud vas faciat in honorem, purificans illud gratia sua.

De hac massa videbatur Paulus loqui, ut ostenderet, quomodo Deus repulit Iudeos, & in contumeliam propter sua peccata destinavit: admisit autem Gentilicum populum, & gratia sua emundavit in honorem. Hoc pacto videtur Aug. intelligere Apostolum, ut paulo infra vidimus: & Fulgentius libro 1. ad Monimum cap. 26. ubi sic ait. *Quæso Monime charissime, ut hunc locum pauli (scilicet à nobis supra citatum) diligenter attendas. Notum namque est iram dei dici non posse, nisi ubi creditur iniquitas hominis præcessisse. Itaque propter peccata, propria actualia putat Fulgentius homines fieri vasa iræ, & contumelie.*

CAPVT VIII.

Expenditur locus ad Roman. 9. de Iacob, & Esau.

Est alius locus ad Rom. 9. Doctoribus primæ opinionis satis familiaris, de duobus fratribus Iacob, & Esau, quorum alter dicitur dilectus à deo alter vero odio habitus, antequam quicquam boni vel mali egissent, ut ita ostendat Paulus nullam ex parte ipsorum fuisse causam, cur odio haberetur Esau, & Iacob diligeretur. Sed si locus ille penitus consideretur, nullam omnino vim habet. Si enim admittimus cum Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2. & Græcis Patribus in eum locum, ibi loqui Paulum de spirituali prædestinatione Iacob, & reprobatione Esau, aut sermo est de reprobatione, & electione à gratia, aut à gloria: si de priori, non dicitur Deus proprie odisse Esau, eo quod negare voluit primam gratiam congruam; sed odisse idem est, quod minus dilexisse: habet enim se ad modum odientis, qui aliquid donum alteri non concedit, aut qui malus denegat, & minus solum concedit. Quæ ratione aliqui intelligunt illud Luc. 14. & non odit Patrem suam & matrem, hoc est, qui diligit patrem, & matrem plus quam me, Hanc expositionem sequitur Ioannes à Bononia in opusculo de prædestinatione prima parte. Verum eo reuertamur, qui quævis existimet, paulum eo loco non agere de reprobatione & electione spirituali Esau, & Iacob, ut inferius dicemus: tamen illud, *Odio habui*, explicat ut sit idem, quod minus diligere.

Luc. 14.

43

Secunda expositio. Augustin.

Si vero de reprobatione à beatitudine sit sermo de qua plane intelligunt Aug. & alij Patres, illud, *Odio habui*, proprie est accipiendum. Cum enim Deus decrevit, Esau excludere à beatitudine, odio eum habuit, sed propter peccatum. Sic autem ipse Esau iam erat vas contumelie, sed factum à se propria iniquitate, ut intelligunt Aug. & omnes. Græci in eum locum, ubi post multa, quæ ibi tradit Aug. contra hunc locum Malachiæ 1. adducit illud Sapientiæ 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*, & tandem concludit: *Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem*, id quod latius ipse prosequitur. Quod vero postea de reprobis subdit, *Sed tamen quod vasa eos facis* (scilicet Deus) perditionis, ad usum correctionis aliorum facit: non intelligit de perditione peccati, hanc enim Deus non facit, sed de

perditione poenæ, quam illius Deus ob peccatum infligit. Dixerat enim paulo superius, *Et quod ex numero impiorum, quos non iustificat, facit vasa contumeliam, non hoc in eis odit, quod faciunt, quippe iniquum impij sunt, execrabiles sunt, in quantum autem vasa sunt, ad aliquem usum sunt, ut per eorum orationem nas vasa, quæ sunt in honorem, præfiantur. Vbi Augustinus ad Rom. 9. nihil aliud esse putat, fieri vasa contumelie, quam ad poenam destinari ob propria peccata, & hanc destinationem, inquit, non odit Deus, quia hanc ipse facit.*

Neque vero ex contextu Pauli colligi potest, Esau odio habitum à Deo antequam quicquam mali egisset, dicit enim in hunc modum. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Deum haberet; non ex operibus sed ex vocatione dictum est, quia maior seniori, sicut scriptum est, Malachiæ 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui, ubi illud Odio habui non debet coniungi cum eo, antequam quicquam boni egissent, aut mali. Sed adducitur testimonium illud ad probandum id, quod dixerat Paulus de duobus fratribus, minorem scilicet prælatum fuisse maiori in gratia, & regno Dei, non ex operibus, sed ex voluntate sola vocantis. Hanc vero differentiam optime probat ab effectu, nam si Esau fuit odio habitus, & Iacob dilectus: recte dicitur, Iacob prælatum fuisse fratri suo Esau: ex quo factum est, ut Esau propria iniquitate odium Dei bi conciliaret.*

Verum si contextum, & mentem Pauli in eo capite altius contemplemur, fortasse compertimus, ibi non agere de spirituali reprobatione Esau, & prædestinatione Iacob, sed de regno, & primogenitura temporali, ad quam electus fuit Iacob, relictus fratri suo Esau, non ex suis operibus, sed ex sola Dei voluntate vocantis, & dicentis Gen. 25. *Maior serviet minori*. Ita Bartholomæus Cantuariensis in dialogo Cathol. cap. 6. §. 1. & Ioannes à Bononia loco paulo ante allegato, putant intelligendum esse Paulum: id quod his rationibus confirmari potest.

Primo quia Genes. 25. videtur esse sermo de primogenitura, cum dixit Dominus Rebecca. *Quia gementes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dentur, populusque populum superabit, & maior serviet minori*. Id quod 27. cap. impletum fuisse narratur, cum Isaac benedixit Iacob, & principem fratris sui illum constituit.

Secundo Malachiæ in illo 1. cap. quod citat Apostolus manifeste loquitur de regno, & hereditate temporali, in qua Iacob electus fuit, & prælatus fratri suo. Sic enim incipit Prophetia: *Dilexisti nos? Nomen frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, & dilexisti Iacob, Esau autem odio habui: & posui montem eius in solitudinem, & hereditatem eius in arationem deserti*. Quibus verbis plane ostendit Deus ex eo disce, vel se potius habuisse instar odio habentis, quod dedit Esau in hereditatem, & possessionem montes infructuosos, & solitudinem in habitabilis, quod non est proprie odio habere, sed minus diligere. Quocirca faretur Hieronymus in hunc locum testimonium hoc Malachiæ, & illud Genes. 25. quæ de temporali hereditate, & regno plane loquuntur, adducta fuisse à Paulo ad Romanos in sensu mystico.

Tertio ex ipso textu Pauli efficacius idem ostenditur.

ditur, nam eodem spectat omnino exemplum duorum fratrum Iacob, & Esau & aliorum duorum, Isaac, & Ismael, inter quos etiam Deus elegit Isaac, ut textus ipse plane indicat: post allatum enim exemplum Isaac, & Ismaelis subiungit Paulus, *Non solum autem illa, scilicet Sara, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri* (supple) exemplum nobis huius rei, quam diximus, præbuit, *Cum enim nondum nati fuissent, &c.* Quis autem audeat asserere, ita Paulum proxime egisse de electione, & prædestinatione gratiæ Isaac, ut putauerit Ismaelem fuisse reprobatum à gratia, & regno Dei, sicut Esau, cum nullibi de damnatione illius constet? Paulum autem vñ fuisse exemplo Isaac, & Ismaelis, licet expresse mentionem Ismaelis non fecerit, statim patet.

Ut igitur hac via textum Pauli explanemus, tria præmittenda sunt. Primum est, duo testimonia veteris testamenti allata fuisse à Paulo in sensu historico, & literali: secundum, illa esse historice intelligenda de hereditate, & primogenitura temporalis. Tertium, nihilominus Paulum eo c. agere de spirituali electione, non quidem Isaac & Iacob, sed populi Gentilici, & de spirituali reprobatione, non Ismaelis, & Esau, sed populi Iudaici, donec intret plenitudo gentium. Textus autem Pauli sic ordinandus est: cum initio capitis ostendisset, se nimio dolore angere, quod videret populum Iudaicum à Domino reiectum, & reprobatum, dixisset, quæ penes illum fuisse promissiones à Deo factas, subdit, *Non autem quod exiderit verbum Dei*, quasi dicat, non contorsit, quod promissiones illi populo factæ, inanes fuerint: reddit subinde rationem his verbis, *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abraham omnes filij, scilicet Abraham, sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Hoc est, ideo existimo non fuisse irritas promissiones factas populo Israel, licet maxima pars illorum, qui generatione secundum carnem ab eo trahunt originem, reijciatur: quia non omnes, qui ex Israele Patre nostro hoc modo oriuntur, sunt veri Israelitæ secundum sensum Scripturarum, quibus Deus tot, tantæque promittit.

Comprobat autem exemplo, hoc modo, sicut etiam non omnes, qui sunt ex semine Abraham secundum carnem, censentur filij Abraham secundum sensum Scripturarum, & diuinæ promissionis, quæ hereditas temporalis, & primogenitura promissa est, ynde Genes. 21. non posteritas Ismaelis, sed solus Isaac dicitur à Domino posteritas Abraham; quia solus Isaac hæres futurus erat Patri sui Abraham ex diuina promissione. Post adductum vero exemplum Isaac, & Ismaelis, ut ostendat non omnes descendentes ex Israel, esse veros Israelitas secundum promissionem diuinam Scripturarum; continuo adiungit: *id est, non qui filij carnis, sed qui filij sunt promissionis, affiantur in semine.* Quibus verbis explicat allegoriam, quam adduxit duorum fratrum: ac si dicat, sic etiam (ita enim interpretanda videtur particula *id est*) non sunt filij Dei, quibus spiritus adoptionis promissus est, quicunque secundum carnem ex Israel nati sunt; sed illi tantum, ad quos pertinet promissio, & hæresitas spiritualis Abraham, & Israelis; hi inquam sunt filij Dei, & computantur in vero semine spirituali Israelis. Addeit subinde: *Promissionis enim verbum hoc est, secundum hoc tempus veniam, & erit Sara filius: quasi dicat; sicut Isaac natus fuit supernaturali virtute ex Dei pro-*

Valquez in 1. part. Tomus I.

missione, quando Gen. 18. Deus dixit, *Secundum hoc tempus veniam, &c.* & ita in eo dicit computari semine Abraham secundum sensum Scripturarum, & promissionis: ita etiam veri spirituales Israelitæ, & filij Abraham sunt illi, quos gratia, & virtus promissionis spiritualis regenerauit per fidem. Cum ergo in his impletæ sint promissiones factæ, etiam Israelitæ secundum carnem nati reijciantur, nec illarum sint participes, non ideo inanes censeri debent.

Adhibet deinde alterum exemplum verbis superius citatis; *Non solum autem illa, scilicet Sara, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, &c.* hoc est, non solum Sara suscipiens filium ex promissione, ex qua hereditatem patris alio filio reiecto habiturus erat, ostendit nobis non omnes, qui ex eodem semine descendunt, in semine computari, & hæreses esse in domo patris; verum etiam multo magis Rebecca, quæ ex eodem semine patris in eodem vtero duos filios habuit, & ex sola voluntate Dei vocantis, & dicentis, *Maiores seruiet minoribus*, minor hæres fuit patris, & in semine computatus; maior autem ab hereditate reiectus. Quod exemplum multo expressius rem demonstrat, eo quod Isaac, & Ismael, etiam si ex eodem patre, non tamen ex eadem matre nati fuerint: Iacob vero, & Esau non solum ex eodem patre, & matre, sed ex eodem etiam semine, & concubitu: in illis tamen verbum Dei hanc differentiam constituit, ut minor hæres esset, secundum promissionem, reiecto maiori; idque non ex operibus, sed ex mera voluntate Dei vocantis, & prædicentis. Sic ergo minor populus, scilicet Gentilius, hæres fuit promissionis spiritualis Israel, & populus Israeliticus, qui secundum temporalem generationem ex eo natus est, non fuit particeps promissionis. Ex quibus constant tria illa, quæ initio proposuimus, & tota de reprobatione difficultas soluta manet.

Siqua vero sunt Aug. & aliorum Patrum testimonia, quæ indicate videantur, reprobationis non dari causam, de reprobatione à gratia intelligenda sunt, nec nomine reprobationis in illis vtuntur. Imo Aug. ubique huius reprobationis causam, esse dicit, massam perditionis conspersam peccato primi parentis.

CAPVT IX.

Respondetur rationibus pro eadem opinione adductis.

Am vero duas alias rationes diluere necesse est. Ad priorem ergo respondeo, primam permissionem cadendi in peccatum esse effectum reprobationis à gratia, sed nullo modo reprobationis à regno celorum. Prius satis compertum est: posterius colligitur ex dictis in c. 4. & 5. ut enim esset effectus reprobationis posteriori illo modo, deberet esse ex intentione expellendi illum à beatitudine, cui gratia denegatur: Deus autem non denegat gratiam congruam, nec permittit peccatum ex intentione damnandi, excludendi à regno celorum, ut ibi monstratum est: ergo illa permissio non est effectus illius reprobationis.

Quæret tamen aliquis, si Deus eo fine non permittit, quoniam alio permittit? Dico primum, *Dubium* nobis sufficere id, quod probatum satis est in illis locis, nempe, nullum peccatum à Deo permitti intentione damnandi, aut excludendi à beatitu-

Ggg 2

dine.

Loci in contrarium adducti germana expolitione.

49

Prima ratio soluitur.

50

Dubium soluitur.